



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Præposito Et Capitulo Brivatensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Oxonefordescire villam de Stanton cum pertinentiis ejus, & in Nordhantonscire Rokingham cum pertinentiis ejus, & villam de Nordhanton. in Devenscires manerium de Keinton & Leston cum pertinentiis suis, ac manerium de Alrichefcote, cum villa de Sloncumbis, & Quenevke cum pertinentiis suis, & civitatem Exoniae, & in Sudhamtonscire manerium de Wlintonia cum pertinentiis suis, & in Heresfordescire Berchamested. cum toto honore ac pertinentiis ejus, ac in Essex. villam de Waltham cum pertinentiis ejus, & in London. Eya Reginae, & in Lincolnscire Graham cum pertinentiis suis, & villam de Stamford cum pertinentiis ejus, ac in Glowvecestrescire honorem de Berkeleia ac pertinentiis ejus, cum omnibus aliis maneriis, villis, & castris quae ad dotalium praefatae Reginae spectare noscuntur, necnon demania, maneria tua in praedictis comitatibus constituta, de quibus saepefata Regina lanam debet habere, licet omnia praedicta ex alia causa supposita sint sententiae interdicti, propter hoc pari sententia specialiter decernimus alligata, ut in iis omnibus nequaquam interdicti sententia relaxetur donec super hoc satisfeceris competenter, dantes dilicite venerabilibus fratribus nostris Roffensi & Saresberienfi Episcopis nihilominus in praecipis ut ipsi, humana gratia & mundano timore postpositis, praefatam sententiam publicent & faciant sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo auctoritate nostra firmiter observari. Quod si nec sic tua poterit durities emolliari, in te manus nostras fortius curabimus aggravare, sciturus quod quantumcunque te sicut carissimum in Christo filium diligamus, quia tamen in tuae salutis dispendium tibi ulterius non credimus defendendum, nulla omitemus penitus ratione quae nostrum officium exequamur donec ad cor rediens super hoc apostolicae sedi te offeras paritum. Datum Laterani xii. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ROFFENSI ET SARESBERIENSI Episcopis.

Epist. 244. De eadem re.
SI carissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Anglorum illustris melius notavisset quantum celsitudini regiae haecenus detulerimus in negotio carissimae in Christo filiae Berengariae quondam Anglorum Reginae illustris, forsitan & ipse nobis, immo ei cujus vicem licet immeriti

gerimus &c. in eandem modum ut in alia usque observare, praefato Regi litteras nostras, quas propter hoc eidem dirigimus, exhibentes. Qualiter autem in executione praecipii apostolici processeritis, nobis per litteras vestras curetis fideliter intimare, praecipium nostrum taliter impleri quod non possit de negligentia reprehendi, sed de obedientia potius commendari. Quod si non ambo iis exequendis &c. alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani &c. ut in alia.

PRÆPOSITO ET CAPITULO Brivatensi.

CVM dilecti filij S. Ecclesiae vestrae ac D. venerabilis fratris nostri Claramontensis Episcopi procuratores ad sedem apostolicam accessissent, & nos eis benignam audientiam dedissemus, procurator ejusdem Episcopi proposuit coram nobis quod cum Ecclesia vestra in ipsius Episcopi sit diocesi constituta, & ob hoc deberetis eidem tamquam diocesano vestro in spiritualibus respondere, vos ipsi jura episcopalia penitus subtrahentes, in Ecclesiis aliis ejusdem diocesis, quas ad vos pertinere proponitis, non permittitis ipsum jurisdictionem debitam exercere, procuratorem quam idem & praedecessores ipsius ab ipsis Ecclesiis aliquando habuerunt sibi pro vestrae voluntatis arbitrio subtrahendo. Verum procurator Ecclesiae vestrae proposuit ex adverso quod cum eadem a jurisdictione cujuslibet praeterquam Romani Pontificis penitus sit exempta, sicut per privilegium pie recordationis Calixti Papae praedecessoris nostri evidenter appareret, non tenebamini ei nec pro capite nec pro membris quae ad vos pertinent pleno jure in aliquo respondere. Porro pars altera replicavit quod idem privilegium formam privilegij non videtur habere, cum verbum exemptionis non contineatur in eo, sed inhibitionis tantum inveniat insertum, proponens illud nequaquam suspicione carere, cum stilum cancellariae nostrae non sapiat, & subscriptionibus Cardinalium non appareat communitum, propter quod idem debere carere viribus proponebat, & nullam esse per ipsum praestitam libertatem, attamen etiam aliquas vires obtineat, licet capiti per illud utcumque tribuatur libertas, membra tamen ab episcopali non eximit potestate, cum de libertate membrorum nullam expressam faciat mentionem. Unde assererat eadem memorato Episcopo esse

Epist. 225. De exemptione eorum. Vide infra lib. 16. Epist. 72. 73.

debere diocesana lege subiecta, sicuti Ecclesie illæ suis subiunguntur Episcopis quæ ad quadam monasteria pertinent quæ sedem apostolicam nullo respiciunt mediante. Ad quod fuit ex parte vestra responsum quod libertas per præfatum privilegium Ecclesie vestre concessa non solum ad caput debet referri, verum etiam ad membra ipsius extendi, quia illud quod continetur in eo, *Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium & Ecclesiarum & ordinationes Clericorum qui ad sacros ordines fuerunt promovendi, à quocumque malueritis catholico suscipietis Episcopo*, ad minores est Ecclesias referendum, cum in majori Ecclesia baptismus minime celebraretur, ratione cuius chrisma & oleum sancti sunt potissime opportuna, & ad consecrationes altarium & subditarum Ecclesiarum & ordinationes etiam Clericorum tam membrorum quam capituli semper consueveritis vicinos Episcopos convocare. Unde si quantum ad ista, quæ sine ministerio Episcopi fieri non possunt, minores Ecclesie sunt exemptæ, multo fortius quantum ad alia intelligi debent libertate gaudere quæ sine officio Episcopi possunt expediri, cum indulgisse videatur minora qui majora concessit. Adiecit insuper procurator prædictus quod si non sufficerent supradicta, tanto tempore usque fuerat Ecclesia vestra tam in capite quam in membris huiusmodi libertate quod legitima esset super ea contra prædictum Episcopum præscriptione munita. Nam ad exequendum prædicta quæ, sicut supra dictum est, non possunt nisi per Episcopum expediri, semper quos voluit Episcopus convocavit. Alia verò, utpote Clericorum institutiones & destitutiones eorum, tam Clericorum, quam laicorum coactiones, & decisiones causarum tam criminalium quam civilium, semper exercuit per se ipsam. Sacrista etiam & hebdomadarij Ecclesie vestre sacerdotes & Clericos subditarum Ecclesiarum ad synodum evocant bis in anno, & eis synodalia dant præcepta, & corrigunt tam in Clericis quam in laicis quæ inveniunt corrigenda. Præterea minores Ecclesie adeo sunt annexæ majori quod sunt de corpore præbendarum & etiam dignitatum ejusdem, quæ in villa Brivatensi oblationes & decimas recipit, injungit poenitentias, & recipit ad sepulturam defunctos, licet sint ibi alie quædam Ecclesie quæ ab ipsa omnino dependent, propter multitudinem populi, ad succursum. Ceterum cum Claromontensis Episcopus terram suppo-

nit ecclesiastico interdicto, in Ecclesia vestra & in membris ipsius divina officia celebrantur, nec unquam in officiis ecclesiasticis Claromontensis Ecclesie consuetudinem imitantur. Nos igitur iis & aliis quæ coram nobis fuere proposita plenè auditis ac perspicaciter intellectis, quia præfatum privilegium in duobus locis plenariam Ecclesie vestre continere perspeximus libertatem, de fratrum nostrorum consilio ipsam in capite liberam omnino esse decrevimus, ut nulli unquam in spiritualibus teneatur præterquam Romano Pontifici respondere. Membra verò ipsius adjudicavimus Episcopo memorato fore lege diocesana subiecta, illis duntaxat exceptis super quibus vos probare poteritis legitima præscriptione munitos. Quia verò privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate, nisi libertate vobis concessa curaveritis bene uti, ut ex ea propter absentiam correptoris non capetis licentiam delinquendi, sed potius propter gratiam largitoris benefaciendi materiam assumatis, illo vos privilegio noveritis esse privandos, præsertim cum à nullo prædecessorum nostrorum fuerit innovatum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre diffinitionis infringere &c. usque in finem. Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI SANCTÆ
Genovesæ, & Archidiacono, & Magistro
P. Peverel Canonico Parisiensi.

DE prudentia dilectorum filiorum Abbatissæ sancti Victoris, Decani, & magistris Roberti de Corzon Canonici Parisiensis non possumus non mirari, quod cum super negotio dilecti filij Morinensis electi per litteras nostras certa forma fuerit illis expressa per omnia consona rationi, eam ipsi pro suæ voluntatis arbitrio exceperunt. Nam cum fuerit ipsis injunctum ut illos tres electores, in quos Canonici Morinenses potestatem Episcopum eligendi contulerant, astringerent vinculo juramenti dicere veritatem quot ex Canonicis examinationis tempore in præfatum convenerunt electum, & si tres simul aut duo saltem ex ipsis jurati dicerent quod Canonicorum major pars convenerat in eundem, iidem contradictorius silentium imponere non differrent, & si per eorum depositiones constaret dictum electum extitisse à paucioribus nominatum, tunc demum diligenter audirent quicquid utraque pars proponeret

Epist. 114.
De electione
Episcopi Morinensis
Vide supra
Epist. 43.